

originalem Deum Adamo impertiverat hac lege, ut illam posteritati suæ vel conservaret, vel amitteret. Ipseque Doctor Angelicus 2. 2. quæst. 1. artic. 1. in corp. & ad 10. & alibi passim, asserit, peccatum originale formaliter esse defectum originalis justitiæ, per quam voluntas Deo subiebat. Suffragatur S. Anselmus lib. de concept. Virg. 26. dum ait: Peccatum originale aliud intelligere nequeo in ipsis infantibus per inobedientiam Adæ, nisi nuditatem justitiæ. Ratione id probatur, quia in qualibet re illud se habet ut ratio constitutiva, a quo tamquam a radice cetera ad illam pertinentia dimanant; Atqui a privatione justitiæ originalis, quantum ad primum ejus effectum, conjunctionem scilicet mentis in Deum, alia omnes dimanant deordinationes ex peccato Adami ad nos transfuse per generationem, ut fomes seu concupiscentia, rebellio appetitus inferioris contra superiorem, pœnalitates corporeæ, morbi, dolores, defatigatio corporis, necessitas moriendi.

Hic jam quæritur, quamnam pœna post hanc vitam destinata sit infantibus sine baptismo decedentibus? Omnes quidem Theologi in hoc uno conveniunt, incurrere pœnam damni, hoc est, incurrere privationem visionis DEI beatificæ, & a celi habitaculo excludi, ad quod sola DEI gratia aditum aperit. Sed probabilius est, illos nullo exinde aut certe levi dolore affici, quippe qui sciunt se nullum ad id jus habere, neque se illa beatitudine per propriam culpam excidisse. Quiddam alii ad extremam æternamque combustionem ignis inferni eos æternum relegant, quo magis propendere videtur Augustinus: sic tamen, ut pœna sensus, qua plectuntur, sit omnium mitissima. Alii cum Magistro sententiarum in 2. dist. 33. & S. Thoma ibid. quæst. 1. art. 1. & 2. & ad Annibal. dist. 34. q. unica, art. 4. & q. 5. de malo, art. 2. eos immunes ab omni supplicio censent, præterquam visionis Dei privatione. Placet magis hac sententia, a qua non abhorret ipsemet Augustinus, dum ait l. 3. de liber. arbitr. cap. 25. dicens: Sicut potuit vita esse media inter recte factum & peccatum, ita & dari potest sententia judicis media inter præmium atque supplicium. Placet hoc loco referre hac de re sententiam Gregorii Nazianzeni orat. XL. eis τὸ ἀγιὸν βάπτισμα circa med. τὴν ἑπιπέδον τῆς βαπτιστικῆς ἀποτυχάνοντος ἡ ἡμῶν μετὰ δὲ τὸ βάπτισμα μετὰ τὴν κολασθῆσαν παρὰ τὸ δίκαιον κριτῆ, ὡς ἀσπαρτὸς μὲν, ἀποτίρησ δὲ, ἀλλὰ πλεονεξίας μᾶλλον τὴν ἑπιπέδον ἢ δρασσαντες. ἢ γὰρ ὅστις ἢ κολασθῆσαι ἕως ἡδὴ ἐπιπέδου, ἀσπαρτὸς δὲ ὅστις ἢ τῆς ἡδὴ ἐπιπέδου. Infantes Baptismi exortes pœna neque glorificandos, neque puniendos a justo Judice, quippe qui sicut neque sigillum accepere, nec quidquam mali commiserunt, unde pœna digni sint. Non enim quicumque pœnam nullam merentur, gloriam consequi par est; ut neque quicumque præmium commerentur, pœna condigni sint. His consentit Doctor Seraphicus loca præallegata Magistri sententiarum, & in Compendio Theologiæ l. 3. c. 8. & c. 22. quo loco distinguit quatuor subterranea animarum receptacula; hæc addens: In limbo puerorum est pœna damni, & non sensus. His adjungam Pontificem Maximum Innocentium III. in cap. majorem extra de Baptismo, ubi sic ait: Pœna originalis peccati est carentia visionis Dei; actualis vero peccati pœna gehenna perpetua cruciatus. Ratio Theologica id suadere videtur, pœna enim cum culpa proportionari & adæquari debet, juxta illud Apocal. 18. Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum. Sed in culpa originali nulla talis delectatio invenitur; vel glorificatio in infantibus.

SYNODUS CONSTANTINOPOLITANA sub Patriarcha Menna anno 536.

Postea quam Joannes admodum laudabilis & orthodoxus Constantinopolis Patriarcha ex hac vita migravit, auspiciis Justini Augusti convocata est Constantinopoli Episcoporum, qui tunc fortuito Constantinopoli versabantur, numero viginti, Synodus extemporanea, qualem Græci ἐκδημιον seu popularem vocitant, in qua concurrentibus populi acclamationibus, & Justini consensu, Epiphanius electus est Joannis successor, eique virtutum meritis & studio religionis æquiparandus. Iste cum annis quindecim illam rexisset Ecclesiam, finem vivendi fecit anno 535. Justiniano rerum potente. Cujus uxor Theodora Eutychiæ hæresis addicta Anthimum Trapezuntis Episcopum pariter Eutychianum, sed callidum orthodoxæ fidei simulatorem, ad va-

cantem illum Patriarchatum suis artibus provexit. Sub id tempus Gothorum Rex Theodatus, amissa bello Sicilia, Agapetum Romanum Episcopum ad Justinianum misit Legatum, ut cum illo de pacis inveniendæ conditionibus ageret; qui cum Constantinopolim appulisset, & comperisset Anthimum esse hæreticum, illum deponere aggressus est, cui initio obstitit Justinianus ab uxore seductus: Sed postquam Anthimus a Justiniano præfente Agapeto interrogatus, renuit duas in Christo naturas confiteri, voce suoque scripto firmare, tum demum Romanus Pontifex Anthimum utraque sedem, quam indignè possederat, detruisit, consentiente Justiniano, & rogante, ut in illius submoti locum Mennas substitueretur, cujus jam pridem virtus Principi perspecta erat, utrumque Agapetum protinus est exequutus, ut narrat Anastasius in Agapeti vita. Ita rite compositis Ecclesiæ rebus, sed infecta Principum pace, pro qua legatione fungebatur, paullo post eodem anno Constantinopoli mortem obiit. Tum Theodora furoris & ambitionis stimulis exagitata, nihil intentatum relinquit, ut Menna detruiso Anthimum in ordinem restitueret. Cujus perniciosos conatus ut averteret Mennas, nihil moratus eodem ipso anno Synodum Episcoporum adhuc Constantinopoli versantium, atque ex vicinia accitorum convocavit. Adfuerunt Legati Apostolici ex Italia quinque Episcopi, quos Agapetus Romana ex urbe ante se præmiserat. Præfedit Apostolico Vicariatu & auctoritate, qua illum Agapetus præmunerat, antequam satis concederet, Mennas Patriarcha: & cum eo interfuerunt quinquaginta alii Episcopi, multique præterea selecti inferiorum dignitatum prælites Clerici & Abbates. Mennas & sacre Synodo visum est tribus citationibus ad Anthimum mittere delegatos Episcopos, qui ipsum ad Synodum accerferent & rogarent, ut publice de naturis in Christo fidem profiteretur ad totius Ecclesiæ edificationem; sed ille diligenter perquisitus nusquam potuit reperiri. Perlectæ sunt variis actionibus multæ epistolæ accusatorie adversus Anthimum & Severum Antiochiæ, pseudopiscopus; & Petrum, & Zoarum Eutychianorum principes; varii libelli querelarum adversus prænominatos pleni, qui fuerant oblati tum Agapeto, tum Justiniano, & utriusque decreta & constitutiones, quibus vel convicti, vel contumaces ab utroque dampnati fuerant, tandemque accessit proluxa Justiniani Augusti constitutio ad Patriarcham Mennam directæ, condemnationis & pœnarum infligendarum præsentia contra Anthimum, Severum, Petrum, & Zoarum: quæ pariter habetur Novella 42. Atque ita actione V. finem nata est Sacra Synodus post Belisarii Consulatum, ann. 536. Hujus Synodi acta transmisit Mennas ad Petrum Jerosolymorum Patriarcham, huic studens gratificari, eo quod ejus iussu Monachi orthodoxi Palestinæ, & nonnulli remotiores Episcopi ex Oriente Constantinopolim commigrassent, ut quatuor prædictos Episcopos coram Agapeto & Justiniano, tum hæreticæ pravitatis, tum aliorum criminum reos postularent. His acceptis a Menna litteris, Petrus Jerosolymitanus Synodum coegit quinquaginta quinque Episcoporum, qui eodem quoque excurrante anno, sententiam anathematis adversus quatuor hosce pseudopiscopos dixit; Agapeti summi Pontificis & ejus Legati Vicarii Mennas judicium sequuti; simulque providentes, ne quis cum illis communicare auderet, ac eis in animæ suæ perniciem auscultaret.

DISSERTATIO BREVIS de urbanis seu popularibus Synodis.

Occasione sumpta ex præcedentibus Synodis Constantinopolitanis, ea scilicet qua in locum demortui Joannis sublectus est Epiphanius, & altera in sequente, quam, subtracto ex vivis Agapeto, Mennas ex fortuito commorantibus Episcopis collegit apud Constantinopolim. Etiam pleneria Concilia haud parum Ecclesiæ conducere, tamen permultum incommodi haud dubie involvebant; convocati enim remotis ex provinciis Episcopi multum defatigabantur, gravibus expensis euntes, aut in loco Synodi degentes, tum etiam redeuntes onerabantur, eorumque in propriis Ecclesiis residentia, non sine gravi earumdem dispendio intermitterentur, aliæque non levia occurrerant incommoda, quorum intuitu rarius, nec nisi gravissima urgente Ecclesiæ necessitate celebranda videbantur. Duæ vero erant in toto Christiano Orbe civitates, Roma vetus & Constantinopolis, ad quas pro diversis occurrentibus causis, & pro definiendis ob jurisdictionis & potestatis amplitudinem judicis, etiam remotiorum Ecclesiarum

suarum Episcopo diversis conflueret necesse erat. In his duabus si qua gravis occurreret questio ac difficultas decidenda, summus Pontifex aut Imperatricis urbis Patriarcha versantes in urbe Antistites, aliove ex vicinia accerfebant ad deliberandum in commune. Easque convocationes vocabant Græci συνέδριον ἐκδημιον seu ἐκδημιον, ac si diceret populares aut privatas Synodos. Eiusmodi fuere duæ illæ proxime nobis commemoratæ: talis quoque fuit, qua Epiphanius Constantinopolis Patriarcha præfati Mennas prædecessor, ne temere Stephanum Thessalonicensem sua destituisse videretur Ecclesia ex Episcopis diversis in comitatu versantibus convocavit. Eiusmodi Concilium Romæ habuerat Cornelius Papa sic ad Cyprianum scribens epist. 46. Omni igitur actu ad me perlato placuit contrahi Presbyterum, adfuerunt etiam Episcopi quinque, qui & hodie presentes fuerunt, ut firmato consilio quid conservari deberet, consensu omnium firmaretur. Quam etiam consuetudinem sede vacante a Clero Romano servatam docet Cyprianus epistol. 31. in causa lapsorum, dicens: Ut temperamenti moderamen quereretur, Clerum Urbanum cum quibusdam Episcopis vicinis urbi & appropinquantibus, & quos ex aliis provinciis longe postis persecutionis ardor eiecerat. Summa horum ratio est, quia multorum sententia in unum collatis singulæ res justiore trutinâ examinantur, & facilius quod ex usu est, perspicitur. Et Proverb. 8. Sapientia de se vere prædicat: Ego sapientia habito in consilio, & eruditus intersum cogitationibus.

CONCILIIUM AURELIANENSE III. Anno Chr. 538.

1. Can. I. Ut unusquisque Metropolitanus in provincia sua cum comprovincialibus suis singulis annis Synodale debeat opportuno tempore habere Concilium.

Hoc idem fuerat secundo Aurelianensi Concilio constitutum can. 2. Ut Metropolitanus singulis annis comprovinciales suos ad Concilium evocet. Idem præscripsit Agathensis can. 71. & Toletani quarti can. 3. Atque jam fuerat remissa antiquior regula Synodorum provincialium singulis annis bis convocandorum, quam canon Apollolorum 37. & Nicænus canon 5. & Antiochenus 20. & Chalcedonenis can. 1. præceperat.

2. Can. II. Ut nullus Clericorum a Subdiacono & supra, qui uxores in proposito suo accipere prohibentur, propria, si forte quam habeat, miscetur uxori. Quod si fecerit, laica communione contentus juxta priorum canonum statuta ab officio deponatur. Quem si sciens Episcopus suus in hac vilitate permixtionis viventem ad officium postea admiserit, & ipse Episcopus ad agenda penitentiam tribus mensibus sit a suo officio sequestratus.

Canon Agathensis 9. Placuit etiam, ut si Diaconi aut Presbyteri conjugati ad torum uxorum suarum redire voluerint, Pape Innocentii ordinario & Siricii Episcopi auctoritate, quæ est his canonibus inserta, conserventur. Subdit deinde Innocentii primi constitutionem ad Exuperium Tolosanum, & Siricii de Diaconis & Presbyteris a matrimonio convertis, ut si ad pristinas redeant uxores, ab omni summoveantur Ecclesiastico ministerio.

3. Can. XX. Si quis Clericorum circa se aut distributionem aut tractationem Episcopi sui putat esse injustam, juxta antiquas constitutiones recurrat ad Synodum.

Constitutum a Nicæno Concilio jam pridem fuerat can. 5. liberum esse illi, in quem proprius Episcopus sententiam excommunicationis protulerit, aut qui ab eo laicum se alioqui existimaverit, recurrere ad Synodum provinciale, in qua revisetur ac retractabitur eadem causa, eaque perspecta factum Episcopi vel confirmabitur, vel rescindetur, vel aliqua moderatione temperabitur. Idem de recurfu ad Provincia Synodum sancitur Concilii Carthaginensis quarti can. 66. Clericus, qui Episcopi circa se distributionem injustam putat, recurrat ad Synodum. Quapropter ne multæ appellationum causæ injudicata manerent, neve compellerentur clerici injustas subire oppressiones, antiquissimi quidem canones quotannis duas cogens provinciales Synodos præcipiebant, posterioreque canones saltem semel unoquoque anno. Multis enim ab initio sæculis ad Synodos interdicebantur appellationes, quæ nunc ad metropolitanorum tribunalia deferuntur.

4. Can. XXII. Si quis res Ecclesiæ debitas vel proprias Sacerdotis horrenda cupiditatis instinctu occupaverit, retinuerit, aut a potestate ex competitione perceperit, ut eas non restituat, nullis rebus excusetur. Sed si agnito jure Ecclesiastico non statim Ecclesiæ vel Sacerdoti reformaverit, aut ut ipsum agnoscere possit, in Judicium electorum venire distulerit, tandem a communione Ecclesiastica suspendatur, quamdiu restituit rebus tam Ecclesiam quam Sacerdotem reddat indemnem. Similis etiam his, qui oblationes defunctorum legaliter dimissas quilibet ordine assignare tardaverint, vel retinere præsumpsint, distributionis Ecclesiasticae juxta priores canones forma servetur. Cui etiam sententiæ subiacet, quisquis ille quolibet ordine, qui quod pro devotione sua Ecclesiis dedit, revocare præsumpsit.

Circa relicta Ecclesiis aut oblationes defunctorum ad stipulatur iste Aurelianensis canon Vasonensis Concilii canoni 4. & Carthaginensis quarti can. 95. & Agathensis can. 4. & Maficonensis primi can. 4. & secundi Arelatenis can. 47. & Aurelianensis secundi 15.

6. Observa hujus 22. canonis verba ista: Aut a potestate ex competitione perceperit. Non enim potestas excusabit rei Ecclesiasticæ aut alienæ detentorem apud supremum Judicem DEUM, ut admonet Concilium primum Arvernense can. 5. Hac de re memorabile refertur exemplum a Gregorio Turonensi lib. 4. de gestis Francorum cap. 2. cujus hæc sunt verba: Clotarius Rex indixerat, ut omnes Ecclesiæ regni sui tertiam partem fructuum scilicet solverent. Cui licet inviti sancti Episcopi consensissent, atque subscripsissent, viriliter hoc beatus Injuriosus respiciens, subscribere dedignatus est, dicens: Si volueris res Dei tollere, Dominus regnum tuum velociter auferet; quia iniquum est, ut pauperes, quos tuo debes alere horreo, ab eorum spere tua horrea replentur. Et iratus contra Regem nec valedicens abcessit. Tunc commotus Rex, timens etiam virtutem beati Martini emisit post eum cum muneribus veniam petens, & hoc quod fecerat, damnans, simulque rogans: ut pro se virtutem beati Martini Antistitis exoraret. Erat hic Episcopus Turonensis, & subscriptus legitur in Concilio Aurelianensi secundo.

Can. XXIV. Ut ne quis benedictionem penitentia juvenibus personis credere presumat. Certe conjugatis nisi ex consensu partium, & atate jam plena, eam dare non audeat.

Can. XXVIII. Quia persuasum est populo, die Dominico agi cum caballis, aut bobus, aut vehiculis itinera non debere, neque ullam rem ad victum preparare, vel ad nitorem domus, vel hominis pertinemens ulatenus exercere. (que res ad Judaicam magis quam ad Christianam observantiam pertinere probatur) id statim ut quod die Dominico ante fieri licuit, liceat. De opere tamen rurali, id est, arato, vel vinea, vel sitione, vel messione, excussione, exarto, vel sepe, consuetum abstinentiam, quo facilius ad Ecclesiam convenientes orationis gratia vacent. Quod si inventus fuerit aliquis in operibus supra scriptis, quæ interdicta sunt, se exercere, qualiter emendari debeat, non in laici distributione, sed in Sacerdotis castigatione constat.

CONCILIIUM AURELIANENSE V. Anno Christi 549.

1. Nitum istud Concilium fuit Anno Christi 549. sedente ad universalis Ecclesiæ gubernaculum Vigilio, Francique regnante Childeberto. Canones auspiciantur Concilii Patres a damnatione impietatis Nestorianorum & Eutychianorum dogmatum.

2. Can. II. Ut nullus Sacerdotum quemquam recte fidei hominem pro parvis & levibus causis a communione suspendat, præter eas culpas, pro quibus antiqui Patres Ecclesiæ arceri jusserunt, committentes.

Qui Canon iisdem verbis renovatur in Concilio Vormatiensi can. 13. Et in Concilio Arvernensi can. 2. Concilium Agathense his etiam suffragatur can. 3. Episcopi, (inquit) si Sacerdotali moderatione posthabita, innocentes, aut minimis causis culpabiles excommunicare præsumpsint, a vicinis Episcopis ejusdem Provincia litteris moneantur. Et si parere noluerint, communio illis usque ad tempus Synodi a reliquis Episcopis donegetur, c. Vide, Episcopi, c. nemo Episcoporum, & c. nullus Sacerdotum, 11. q. 3. Concilium Tridentinum sess. 35. de refor. c. 3. Quamvis (ait) excommunicationis gladius nervus